

---

PHÆDRI  
LIBER QVARTVS.

---

FAB. I.

## DE MVSTELA ET MVRIBVS.

Ioculare tibi videtur: et sane leui,  
Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.  
Sed diligenter intuere has naenias:  
Quantam sub illis utilitatem reperies?  
Non semper ea sunt, quae videntur; decipit  
Frons prima multos: rara mens intelligit,  
Quod interiore condidit cura angulo.  
Hoc ne locutus sine mercede existimer,  
Fabellam adiiciam et mustela et muribus.

30 Mustela, cum, annis et senecta debilis,  
Mures veloces non valeret adsequi,  
Inuoluit se farina, et obscuro loco  
Abiecit negligenter. Mus, escam putans,  
Adsiluit, et compressus occubuit neci:  
15 Alter similiter, deinde periit tertius.  
Aliquot secutis, venit et retorridus,

Qui

Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,  
Proculque insidias cernens hostis callidi,  
Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

1. Ioculare tibi videtur.] Plurimi, ioculare hoc tibi videtur, inculcato hoc, quod non est in MSS. Burmannus coniicit: *Ioculares tibi videntur (et sane leui, Dum nihil habemus maius, calamo ludimus)* Sed diligenter intuere has naenias. Ita ioculares coniungitur cum naenias, leui cum plectro, quod ita dicuntur, quia materia est leuis.

8. Sine mercede.] Sine utilitate, fructu, prae-mio. Burm.

14. Et compressus.] At compressus, vel compressus, Heins. et Burm. malunt.

15. Alter similiter.] Al. Alter similiter, deinde perius et tertius, vel perit. Bentl. Alter similiter perit, deinde et tertius. Burm. alter similiter perit, et mox tertius.

## FAB. II.

## VULPIS ET VVA.

Fame coacta vulpis alta in vinea  
Vuam adpetebat, summis saliens viribus,  
Quam tangere vt non potuit, discedens ait:  
Non dum matura est; nolo acerbam sumere.

Qui, facere quae non possunt, verbis ele-  
uant,  
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi,

FAB. III.

EQVVS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,  
 Dum sese aper volutat, turbauit vadum.  
 Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,  
 Auxilium petiit hominis: quem dorso leuans,  
 Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques  
 Postquam interfecit, sic locutus traditur.  
 Laetor, tulisse auxilium me precibus tuis:  
 Nam praedam cepi; et didici, quam sis utilis.  
 Atque ita coegerit frenos inuitum pati.  
 Tum maestus ille: Paruae vindictam rei  
 10Dum quaero demens, seruitutem reperi.  
 Haec iracundos admonebit fabula,  
 Impune potius laedi, quam dedi alteri.

5. Rediit ad hostem.] In cod. Pithoei additum  
 fuit laetus. Bentl. It in hostem laetus. Sed laetus  
 abundat, cum v. 7. sequatur laetor.

7. Precibus tuis.] Ad preces tuas, Burin. tibi  
 precanti Schefferus interpretatur.

FAB. IIII.

P O E T A.

Plus esse in vno saepe, quam in turba boni,  
 Narratione posteris tradam breui.  
 Quidam decedens tres reliquit filias:  
 Vnam formosam, et oculis venantem viros;  
 5At alteram lanificam, frugi et rusticam;  
 Deuotam vino tertiam, et turpissimam.  
 Harum autem matrem fecit heredem senex,

Sub

Sub conditione, totam vt fortunam tribus  
Aequaliter distribuat, sed tali modo:  
Ne data possideant, aut fruantur; tum, simul 10  
Habere res desierint, quas acceperint,  
Centena matri conferant festertia.  
Athenas rumor implet. Mater sedula  
Iuris peritos consulit: nemo expedit,  
Quo pacto non possideant, quod fuerat datum, 15  
Fructumne capiant; deinde, quae tulerint nihil,  
Quanam ratione conferant pecuniam.  
Postquam consumta est temporis longi mora,  
Nec testamenti potuit sensus colligi:  
Fidem aduocauit, iure neglecto, parens. 20  
Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,  
Lauationem argenteam, eunuchos, glabros:  
Lanifcae agellos, pecora, villam, operarios,  
Boues, iumenta, et instrumentum rusticum:  
Potrici plenam antiquis apothecam cadis, 25  
Domum politam, et delicatos hortulos.  
Sic destinata dare cum yellet singulis,  
Et adprobaret populus, qui illas nouerat;  
Æsopus media subito in turba constitit;  
O si maneret condito sensus patri, 30  
Quam grauiter ferret, quod voluntatem suam  
Interpretari non potuissent Attici!  
Rogatus deinde, soluit errorem omnium.  
Domum et ornamenta, cum venustis hortulis,  
Et vina vetera date lanifcae rusticae; 35  
Vestem, vniiones, pedisequos, et cetera  
Illi adsignate, vitam quae luxu trahit:  
Agros, vites, et pecora cum pastoribus

Donate moechae. Nulla poterit perpeti,  
 40 Ut moribus quid teneat alienum suis.  
 Deformis cultum vendet, vt vinum petat:  
 Agros abiiciet moecha, vt ornatum paret:  
 At illa gaudens pecore, et lanae dedita,  
 Quacunque summa tradet luxuriae domum,  
 45 Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,  
 Et dictam matri conferent pecuniam  
 Ex pretio rerum, quas vendiderint, singulae.  
 Ita, quod multorum fugit imprudentiam,  
 Vnius hominis reperit sollertia.

5. *Frugi et rusticam.*] Hoc Heinsius reposuit pro vulg. et *frugi rusticam*, i. e. *rusticam*, quae erat lanifica et *frugi*, vel, quae ruri solebat telae et lanae operam dare, Burmann. Heinsi lectio laudat *rusticam simplicitatem*, quae in iis esse solet, qui rure vivunt.

12. *Conferant.*] Heins. ut *conferant*, quia praecessit ne. Sed vide ad fab. III. lib. I. adnotata.

15. *Fuerat.*] Gron. Hogstrat. Bentl. *fuerit* ut v. 45.

19. *Testamenti sensus.*] Rarius *sensus*, pro *sententia*, dicitur. Vide tamen Cellar. cur. post. p. 88. Quintil. lib. I. c. 9. p. 99. in Burmann. Quid. V. Fast. 484.

20. *Fidem aduocavit.*] *Aduocare* est, vocare aliquem, qui consilio iuuet. *Fidem* itaque *aduocavit*, dum ex bona fide, ex aequo bonoque, *testamentum* interpretata est, et hereditatem diuisit.

21. *Seponit.*] Versus et senarius iambus, et hexameter est.

22. *Eunuchos, glabros.*] Distinguunt ab *eunuchis glabros* Gudius et Burmann. ideoque interpungunt.

24. *Iumenta.*] Equos, asinos, mulas Burmann. intelligit.

26. *Domum politam.*] Urbanam, opere albario vel tectorio politam.

38. *Vites.*] Gud. *villas*. Sed supra v. 23. *villam* singulari numero dixit. Burmannus, *Agellos*, *villam et pecora*.

41. *Vt viuum petat.*] Ita post Gronou. patrem Burm. quia paret, quod aderat, ex seq. versu hoc tractum videtur. Anon. Angl. *vetera vt vina emat*, violentiori vsus remedio.

44. *Luxuriae domum.*] Nimio sumtu exstructam et politam, Burmanni verbis. Anon. Angl. *luxuriam et domum*.

46. *Dictam pecuniam.*] Testamento imperatam.

## FAB. V.

## PVGNAMVRIVM ET MVSTELARVM.

Cum victi mures mustelarum exercitu  
(Historia quorum in tabernis pingitur)

Fugarent, et artos circum trepidarent cauos:

Aegre recepti, tamen euaserunt necem.

Duces eorum, qui capitibus cornua 5

Suis ligarant, vt conspicuum in proelio

Haberent signum, quod sequerentur, milites,

Haesere in portis, suntque capti ab hostibus.

Quos immolatos victor audiſ dentibus

Capacis alui mersit tartareo specu. 10

Quemcunque populum tristis euentus premit,

Periclitatur magnitudo principum;

Minuta plebes faciliter praesidio latet.

1. *Mustelarum exercitu.*] Bentl. *exercitum*, sc. fugerent.

2. *Historia quorum.]* Hunc versum delet Guietus, et Anglus anon. Sed Heins, et Bentl, legunt, *historta quorum et in tab. ping.* vt metro subueniatur, quod laborat, nisi, cum Burmanno, M in *quorum* non elidi, dicas.

9. *Immolatos dentibus.]* Singularibus Phaedri locutionibus adnumerat Burm,

FAB. VI,

## P O E T A.

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea,  
Et hoc iocorum legere fastidis genus,  
Parua libellum sustine patientia,  
Seueritatem frontis dum placo tuæ,  
Et in cothurnis prodit Aesopus nouis,  
Vtinam nec ynquam Pelii nemoris iugo  
Pinus bipenni concidisset Thessala!  
Nec ad professæ mortis audacem viam  
Fabricasset Argus opere palladio ratem!  
Inhospitalis prima quae Ponti sinus  
Patefecit, in perniciem Graium, et barbarum.  
Namque et superbi luget Aeætae domus,  
Et regna Peliae scelere Medæae iacent:  
Quæ, saeuum ingenium variis inuoluens modis,  
Illuc per artus fratris explicuit fugam;  
Hic caede patris Peliadum infecit manus.  
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est,  
Falsoque dictum: longe quia vetustior  
Aegea Minos classe perdomuit freta,  
Iustoque vindicauit exemplo impetum.

Quid

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,  
 Si nec fabellae te iuant, nec fabulae?  
 Noli molestus esse omnino litteris,  
 Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant, 25  
 Et, ut putentur sapere, coelum vituperant.

1. *Nasute.*] Vocatius. Bentl. *nasitus.*

3. *Parua.*] Breui, Quidam *paruum libellum.* Sed et illud probum est. *Libellum* Bentl, mutat in *labelum*, parum feliciter.

5. *Et in cothurnis.*] En in *cothurnis*, Meurs. Gud, Heins, non repugnante Burmanno.

9. *Operे palladio.*] Opera, labore Palladis.

14. *Inuolvens modis.*] Heins, *dolis.*

20. *Instoque vindicauit exemplo imperum.*] Minos, purgando maria a piratis et eos puniendo, imperium illum, id est, iniustum rationem praedandi, vltus fuit. Burm.

25. *Si qui stulti nauseant.*] Codices, *stultitiam nauseant.* Si ex coniectura additum, quo repudiatto Rittersh, et Angl, anon. qui *stultitia nauseant.*

FAB. VII.

VIPERA ET LIMA,

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,  
 Hoc argumento se describi sentiat.

In officinam fabri venit vipera:  
 Haec cum tentaret, si qua res esset cibi,  
 Limam momordit. Illa contra contumax, 5  
 Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,  
 Omne adstieui ferrum quæ conrodere?

4. Haec.] Hic Scheffer et Bentl. et Burmann.  
praefert.

*Si qua res esset cibi.] Heinsius, adplaudente  
Burmanno, si qua spes esset cibi,*

## FAB. VIII.

## VVLPE S ET HIRCVS.

Homo, in periculum simul ac venit, callidus  
Effugium reperire alterius quaerit malo.  
Cum decidisset vulpis in puteum inscia,  
Et altiore clauderetur margine:

Deuenit hircus sitiens in eundem locum,  
Simul rogauit, esset an dulcis liquor,  
Et copiosus. Illa, fraudem moliens:  
Descende, amice, tanta bonitas est aquae,

Voluptas ut satiari non possit mea.

Immisit se barbatus. Tum vulpecula  
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,  
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

I. Homo.] Vulgo: *Homo simul ac venit in magnum periculum.* Cod. Rement. *Homo, in periculum simul ac venit, callidus Reperire effugium alterius quaerit malo.* In posteriore transpositionem exigit metrum. Bentl. et Angl. anon. *Reperire effugium quaerit alterius malo.* In nostra lectione *venit* est praeteritum, in vulgata *praesens*.

II. Nixa.] Scheffer. *innixa*, Burm. *enixa* vel *enixa* coniicit.

FAB. VIII.

**DE VITIIS HOMINVM.**

Peras imposuit Iupiter nobis duas:  
Propriis repletam vitiis post tergum dedit:  
Alienis ante pectus suspendit grauem.

Hac re videre nostra mala non possumus:  
Alii simul delinquent, censores sumus. §

4. *Hac re.] Διὰ τοῦτο, propterea, hic habet Themistius, hanc ipsam fabulam narrans in oratione, quae βασανιστής inscribitur, cuius locum Freins hemius adfert.*

FAB. X.

**FVRARAM COMPILEANS.**

Lucernam fur accendit ex ara louis,  
Ipsumque compilauit ad lumen suum.  
Onustus sacrilegio cum discederet,  
Repente vocem sancta misit religio:  
Malorum quamuis ista fuerint munera;  
Mihique invisa, ut non offendar subripi;  
Tamen, scelesti, spiritu culpam lues,  
Olim cum adscriptus venerit poenae dies.  
Sed, ne ignis noster facinori praeluceat,  
Per quem verendos excolit pietas deos, 10  
Veto esse tale luminis commercium.  
Ita hodie, nec lucernam de flamma deum,  
Nec de lucerna, fas est, accendi sacrum.

Quot res contineat hoc argumentum utiles,  
Non explicabit aliis, quam qui reperit. 15

Signi-

Significat primo, saepe, quos ipse alueris,  
 Tibi inuenire maxime contrarios:  
 Secundo ostendit, scelerā non ira deum,  
 Fatorum dicto sed puniri tempore:  
 20 Nouissime interdicit, ne cum malefico  
 Vsum bonus consociet vllijs rei.

- 2. *Suum.*] *Iouis*, non *furis*,
- 3. *Onusitus.*] Vulgo *onusitus qui sacrilegio*, syllaba  
 redundante, quam Ionsen. et Burm. fustulerunt.
- 4. *Religio.*] *Iouis statua vel ara*, summa reli-  
 gione colenda. Burm.
- 7. *Scelesto.*] Heins. et Bentl. *scelesto*.
- 10. *Verendos excolit.*] Cod. Pith. *colendos*, Bentl.  
*colendos censuit*, Heins. *colendos extulit*.
- 15. *Explicabit.*] Heins. et Bentl. *explicarit*.

## FAB. XI.

## MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes inuisae merito sunt fortī viro,  
 Quia diues arca veram laudem intercipit.  
 Coelo réceptus propter virtutem Hercules,  
 Cum gratulantes persalutasset deos,  
 Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius,  
 Avertit oculos. Causam quæsiuit pater:  
 Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,  
 Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

- 5. *Veniente.*] Remens. cod. *venienti*, quod cum  
*auretit iungit* Burm.
- 8. *Simulque.*] Non modo malos, quibus ami-  
 cus est, ad omnia facinora impellit; sed bonos  
 etiam corrumpere potest spe lucri. Burm.
- Cuncta.*] Id est, *cunctos*.

## FAB.

LEO REGNANS.

Vtilius homini nihil est, quam recte loqui:  
Probanda cunctis est quidem sententia,  
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

Cum se ferarum regem fecisset leo,  
Et aequitatis vellet famam consequi,  
A pristina deflexit consuetudine,  
Atque inter illas tenui contentus cibo,  
Sancta incorrupta iura reddebat fide.  
Postquam labare coepit poenitentia,

---

1. Nihil est.] Bentl. nihil esse homini.

9. Postquam labare.] Gron. post quae. Hunc  
versum ad sequentem fabulam multi trahunt, a  
quibus iam Neuiletus dissentit, Rimicium fecutus,  
qui ea, quae hic desunt, supplet. Eius et Ro-  
muli atque anonymi Nilantiani vestigiis insistens  
Burmannus reliquos senarios in hunc modum ex-  
pleuit.

Post quae labare vi coepit poenitentia,  
Naturam cum mutare non posset suum:  
Sedicit aliquas in secretum, ut falleret.  
Et, an fosteret os fibi, cum quaereret,  
Quae dixerant putere, et quae negauerant,  
Laniabat omnes, et satur fit carnis.

[vel, et satiatur sanguine.]  
Cum multis faceret hoc, et simium vocat  
Ad se, rogataque, an os haberet putidum.  
Hic cinnamomo oleo dixit suauius  
Et ture, flagrant quo deorum altaria.  
Erubuit laudes, nec nocere sufficeret.

Rex:

Rex: sed pudore saluo ut laederet, dolos  
 Quaesuit, et, languorem simulans, aducat  
 Medicos, tentatis qui venarum pulsibus  
 Negant se morbum posse comprehendere.  
 Sed suadent, natum ex consueto fastidium  
 Cibo iam suaviore tolleret dape.  
 Hic ille: Nullam sic carnem desidero,  
 At simii, non ante gustatam mili;  
 Datam sed fallere prohibet pudor fidem.  
 Medici, Quodcumque facere, rex, libet, tibi  
 Licet, respondent, ceteris ut regibus;  
 Et pro dolore, fas est, nos mori tuo,  
 Non vita tantum. Adducitur mox simius,  
 Qui, quanta poena, didicir, ad regem loquit,  
 Et quam tacere sit tormentum maximum.

F A B. X I I I .

---

Adfictione veretri linguam mulieris,  
 Adfinitatem traxit inde obscenitas.

---

F A B. X I I I I .  
 P R O M E T H E V S.

Rogavit alter, tribadas et molles mares  
 Quae ratio procreaslet: exposuit senex.  
 Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,  
 Qui, simul offendit ad fortunam, frangitur,  
 Naturae partes, veste quas celat pudor,  
 Cum separatim toto finxit let die,  
 Aptare mox ut posset corporibus suis,  
 Ad coenam est inuitatus subito a Libero.

Vbi

Vbi irrigatus multo venas nectare,  
 Sero domum est reuersus titubanti pede. 10  
 Tum semisomno corde, et errore ebrio,  
 Adplicuit virginale generi masculo,  
 Et masculina membra adplicuit feminis.  
 Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

4. *Qui.*] *Vulgum* intelligit, vnde Heinsius  
*quod legit vulgus* etiam sit masculinum.

F A B. X V.

CAPELLAE ET HIRCI.

Barbam capellae cum impetrassent ab Ioue.  
 Hirci moerentes indignari coeperunt,  
 Quod dignitatem feminae aequassent suam.  
 Sinite, inquit, illas gloria vana frui,  
 Et usurpare vestri ornatum muneric,  
 Pares dum non sint vestræ fortitudinis. 5

Hoc argumentum monet, vt sustineas tibi  
 Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

3. *Feminae.*] Liuiam et ceteras feminas notare  
 videtur Burmanno, quarum potentia maior fuit  
 sub Tiberio, Plancinam, Liuillam, et quas alias  
 nominat Tacitus.

6. *Vestræ fortitudinis.*] In MSS. fuit *fortitudine*, fortasse pro *fortitudini*, vt Gud. et Bentl.  
 legunt. Aliis secundus casus magis placuit: an-  
 ceps est Burmannus, qui exempla utriusque con-  
 structionis in scriptis plerunque variantis, ad-  
 fert. Vid. Vechner. hellenolex. lib. I. part. II.  
 c. 18. extr.

FAB. XVI.

## GVBERNATOR ET NAVTAE.

Cum de fortunis quidam quereretur suis,  
 Aesopus fixit consolandi gratia.  
 Vexata saevis nauis tempestatibus,  
 Inter vectorum lacrymas, et mortis metum,  
 Faciem ad serenam subito mutato die,  
 Ferri secundis tuta coepit flatibus,  
 Nimiaque nautas hilaritate extollere.  
 Factus periclo tum gubernator sophus:  
 Parce gaudere oportet, et sensim queri,  
 Totam quia vitam miscet dolor, et gaudium.

3. *Navis.*] Rempubl. Romanam intelligit Burmannus, quae, oppresso Seiano, in tranquiliorem statum restituta videri potuit. *Navi* autem legitur in MSS. alii *naui*, vt in prima edidit ipse Burmannus: quia paullo post scriptum fuit *maturatur dies*, cui vt praeponit Bentlei.

7. *Nautas hilaritate extollere.*] Heins. et Bentl. *Nautae se hilaritate extollere.*

FAB. XVII.

## CANVM LEGATI AD IOVEM.

Canes legatos olim misere ad Iouem,  
 Melioris vitae tempus oratum sua,  
 Ut sese abriperet hominum contumeliis:  
 Furfuribus ibi conspersum quod panem darent,  
 Fimoque turpi maximam explerent famem.  
 Profecti sunt legati non celeri pede  
 Dum naribus scrutantur eseam in stercore.

Citati

Citati non respondent. Vix tandem inuenit,  
 Eos Mercurius et turbatos adtrahit,  
 Tum vero, vultum magni ut viderunt Iouis, 10  
 Totam timentes concacarunt regiam.  
 Propulsi vero fustibus, vadunt foras:  
 Vetus dimiti magnus illos Iupiter.  
 Mirati, sibi legatos non reuertier,  
 Turpe aestimantes aliquid commisum a suis, 15  
 Post aliquod tempus alios adscribi iubent.  
 Rumor legatos superiores prodidit.  
 Timentes, rursus aliquid ne simile accidat,  
 Odore canibus anum, sed multo, replent:  
 Mandata dant, legati mittuntur, statim 20  
 Adeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.  
 Consedit genitor tum deorum maximus,  
 Quassatque fulmen, tremere coepere omnia.  
 Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,  
 Repente odorem mixtum cum merdis cacant. 25  
 Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.  
 Sic est locutus ante poenam Iupiter.  
 Non est legatos regis non dimittere,  
 Nec est difficile, poenas culpae imponere.  
 Sed hoc feretis pro iudicio praemium: 30  
 Non vero dimitti, verum cruciari fame,  
 Ne ventrem continere non possint suum.  
 Illi autem, qui miserunt vos tam fuitiles,  
 Nunquam carebunt hominis contumelia.  
 Ita nunc legatos exspectant et posteri: 35  
 Nouumque venire qui videt, culum olfacit.

2. Melioris vitae tempus.] Heins. et Bentl. me-  
 liora vitae tempora oratum sibi.

3. *Vt sese abriperet.]* Gud. et Bentl. *eriperet*, Heins. *se subriperet*.

8. *Citati non respondent.]* Non sunt praesto, non comparent, sollemni praeconis, Mercurii, voce citati. Burmannus post pede distinctionem ponit, et reliqua continuat: *Dum naribus scrutantur escam in stercore, citati non respondent.*

16. *Adscribi.]* In MSS. *adsciri*, vnde Gud. *adscisci*, Heins. et Bentl. *adsciri* tueruntur, quod vero de eo potius dicitur, qui socius ab aliquo legitur.

17. *Rumor.]* Bentl. audacius, venter.

20. *Mandata dant.]* MSS. *mandant*, *mittuntur statim*, viciose Burmannus coniicit: *Mandant legatis*, qui *mittuntur*, *ut statim Adeant*. Rogantes aditum c. i. vel *Mandant*, *vt*, qui *mittuntur*, *legati statim Adeant*.

24. *Canes confusi.]* Vulgo: *Canes, confusis suis bito quod fuerat fragor.* Bentl. *Canes confusi (subiugis terruerat fragor) Repente.* Nostra lectio a Guadio est, a qua parum abit Heinsius, qui *fuerat tantum mutat in ruerat*, et *subito retinet*.

26. *Reclamant omnes.]* Scil. *dii*. Bentl. *v& elamant*.

27. *Sic.]* Scheffer. *hic*, Walchius *hinc*.

30. *Sed hoc feretis.]* Meurs. et Bentl. *Sed hoc ferent hi pro iudicio pr.* Sed hic canes alloquitur, sequenti versu deos. *Pro iudicio est, loco iudicij, cuius formam Iupiter se non obseruaturum dicit.*

31. *Non vero dimitti.]* Sententia est, *non vero dimitti, verum volo cruciari fame.* In negativo sub intelligitur contrarium affirmans, nota fatis ellipi. Si vero dimisit Iupiter legatos, cur non redierunt? cur posteri adhuc exspectant eos? Haec

Haec difficultas Burmannum cogit legere:  
*Vos veto dimitti; hos verum cruciari fame.*  
 Per vos posteriores, per hos priores legatos signifi-  
 cari, putat. Ut sequenti etiam opinioni suae  
 conciliet, rescribit:

*Ita nunc legatos exspectat qui posteriores,  
 Nouum venire cum videt, culum olfacit.*

Posteros (ita MSS.) legatos interpretatur, qui po-  
 steriores missi fuerant. Sed nec ita sublata est  
 omnis difficultas. Nam de posterioribus legatis  
 quaestio erat in concilio deorum: eos vero non  
 dimittere, regis non esse, dixerat Iupiter. Non  
 potest igitur fingi eos retinuisse. Quare satius  
 est, dimissos quidem dicere legatos, non priores  
 tantum, sed et posteriores; eosdem vero a cani-  
 bus adhuc exspectari, quod aliquamdiu certe re-  
 tenti fuerant, et dimissi quidem, sed, simul etiam  
 notati gravissime, redditum non maturauerant,  
 cum escam in stercore scrutarentur, et legationis  
 suae tam turpem tristemque exitum ad suos referre  
 non auderent.

33. *Qui miserunt vos.]* Bentl. hos, cum Gud. et  
 Heins. quod concinnius.

## FAB. XVIII.

## HOMO ET COLVRA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet,  
 Gelu rigentem quidem colubram sustulit,  
 Sinuque fouit, contra se ipse misericors,  
 Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.  
 Hanc alia cum rogaret causam facinoris,  
 Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

5. *Hanc alia cum rogaret.]* Non veri simile est  
 Burmanno, serpentem contra se sententiam pro-

nuntiare, et se ipsam vocare improbam. Itaque  
mauult:

Hic (vel hinc) aliquis cum rogaret causam facinoris,  
Respondi. (ego Phaedrus.) Iudicent alii.

## FAB. XVIII.

## VULPIS ET DRACO.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,  
Agitque plures altius cuniculos,  
Peruenit ad draconis speluncam intimam,  
Custodiebat qui thesauros abditos.

Hunc simul adspexit: Oro, ut imprudentiae  
Des primum veniam; deinde, si pulchre vides,  
Quam non conueniens aurum sit vitae meae,  
Respondeas clementer, quem fructum capis  
Hoc ex labore, quodue tantum est praemium,  
10 Ut careas somno, et aeum in tenebris exigas?  
Nullum, inquit ille: verum hoc a summo mihi  
Ioue attributum est. Ergo nec sumis tibi,  
Nec vlli donas quicquam? Sic fatis placet,  
Nolo irascaris, libere si dixero:  
15 Diis est iratis natus, qui est similis tibi.

## POETA.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,  
Quid mente caeca miserum torques spiritum?  
Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,  
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo:  
20 Qui tristis audis musicum citharae sonum,  
Quem tibiarum macerat iocunditas,

Obs-

Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:  
 Qui, dum quadrantes adgeras patrimonio,  
 Coelum fatigas sordido periurio:  
 Qui circumcidis omnem impensam funeri, 25  
 Libitina ne quid de tuo faciat lucri.

3. *Speluncam intimam.*] Ita post Bentl. conie-  
 cturnam in cod. Perotti inuentum: vulgo *ultimo*.

9. *Quodue tantum est praemium?*] Bentl. est ex-  
 pungit.

12. *Attributam est.*] Ut munus, Scheffero, vel  
 vt pecunia attributa dicitur, id est, adsignata, Bur-  
 manno, qui hoc interpretatur, non tantum aurum,  
 sed et carere sonno v. 10.

17. *Mente caeca.*] Quid tu mente caeca homo,  
 id est, qui es mentis caecae, torques spiritum?  
 Burm.

23. *Adgeras.*] Non ab aggerare, sed ab adgerere.

24. *Coelum fatigas sordido periurio.*] Coelum deos,  
 eosque fatigare, significare aint, saepe a diis pu-  
 nitione non emendari. Heins. tamen, offensus vul-  
 gata lectione, coniicit cellam, (vel alium) fatigas  
 sordida penuria.

25. *Funeri.*] Ita cod. Perotti, alii *funeris*.

26. *Ne quid lucri.*] Sequor eundem codicem,  
 cum vulgo legatur *ne quid lucrum*, vel *ne quod  
 lucrum*.

FAB. XX.

P H A E D R V S.

Quid iudicare cogitet liuor modo,  
 Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.  
 Quidquid putabit esse dignum memoriae,

F 3

Aelo-

Aesopi dicet: si quid minus adriserit,  
 § A me contendet fictum quovis pignore.  
 Quem volo refelli iam nunc responso meo:  
 Siue hoc ineptum, siue laudandum est opus,  
 Inuenit ille, nostra perfecit manus.  
 Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

1. *Iudicare cogiter.*] MSS. *cogitur*, quod mutandum omnes consentiunt Bentl. *praedicare cogite.*

*Modo.*] Statim simul ac fabulas edidero. Burm.

3. *Dignum memoriae.*] Constructio poëtis familiarior, quam ceteris. Vid. Vechneri hellenolex. lib. I. part. II, cap. 18, extr.

## FAB. XXI.

## NAVFRAGIVM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper diuitias habet.  
 Simonides, qui scripsit egregium melos,  
 Quo paupertatem sustineret facilius,  
 Circuire coepit vrbes Asiae nobiles,  
 Mercede accepta laudem victorum canens.  
 Hoc genere quaestus postquam locuples factus  
 est,  
 Venire in patriam voluit cursu pelago.  
 (Erat autem natus, vt aiunt, in Cea insula)  
 Adscendit nauem, quam tempestas horrida  
 10 Simul et vetustas medio dissoluit mari.  
 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,  
 Subsidium vitae. Quidam curiosior,  
 Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?

Me.

Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci  
enatant,

Quia plures onere degrauati perierunt. 15

Praedones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,

Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope

Antiqua fuit vrbs, quam petierunt naufragi.

Hic litterarum quidam studio deditus,

Simonidis qui saepe versus legerat,

Eratque absensis admirator maximus,

Sermone ab ipso cognitum cupidissime

Ad se recepit, veste, numis, familia

Hominem exornauit. Ceteri tabulam suam

Portant, rogantes victum. Quos casu obuios 25

Simonides ut vidit, Dixi, inquit, mea

Mecum esse cuncta? vos quod rapuistis, perit.

*Melos.]* Vnde Melicus dictus est, et μελοποιός,  
quem *lyricum* alii vocant.

7. *Venire.]* Verior lectio in cod. Perotti, *redire.*

8. *Cea insula.]* Al. *Ceo*, a primo casu *Ceos*, qui  
et ipse visitatus.

15. *Perierunt.]* Ita Heins. quem plures fecuti,  
correpta penultima, ut coeperunt supra fab. XV. 2.  
abierunt fab. XVIII. 16. et praebuerunt lib. II.  
fab. III. 24. Bentl. perierant retinet.

25. *Obuios.]* Ita Perott. ut iam cum aliis Bentl.  
voluerat. Vulgo *obuius*.

FAB. XXII.

### MONS PARTVRIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,  
Eratque in terris maxima exspectatio.

At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,  
Qui, magna cum minaris extricas nihil,

i. Parturibat.] Pro parturiebat, antique,

FAB. XXIII.

FORMICA ET MUSCA.

Formica et musca contendebant acriter,  
Quæ pluris esset. Musca sic coepit prior,  
Conferre nostris tu potes te laudibus?  
Vbi immolatur, exta praeiusto deum,  
Moror inter aras, templa, perlustro omnia.  
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,  
Et matronarum casta delibo oscula;  
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.  
Quid horum simile tibi contingit, rustica?  
Est glriosus sane conuidus deum,  
Sed illi, qui inuitatur, non qui inuisus est.  
Reges commemoras et matronarum oscula;  
Ego granum in hiemem cum studiole congero,  
Te circa murum pasci video stercore.  
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.  
Nihil laboras, ideo, cum opus est, nihil habes,  
Superba iactas, tegere quod debet pudor.  
Aestate me lacefis; cum bruma est, files.  
Mori contractam cum te cogunt frigora,  
Me copiosa recipit intolumen domus.  
Satis profecto reudi superbiam.  
Fabella talis hominum discernit notas  
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,  
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

i. Per-

I. Formica.] Vulgo praemittitur versus, *Nihil agere, quod non proficit, fabella indicat*, quem ex lib. III. fab. 17. *huc irrepsisse credit Heinsius, et Burmannus abesse iussit.*

5. Perlustro omnia.] Distinctio a Scheffero et Burmanno est: alii, *temp[or]a perlustro omnia*.

8. Optimis rebus fruor.] Id est delicatissimis, lau-tissimis. *Je ne laisse pas de faire tres bonne chaire*, Burmanno, qui hanc fabulam ad parasitos accommodat.

10. Sane.] Perott. plane.

11. Inuitatur.] Bentl. inuitatus.

14. Te circa murum pasci video.] Bentl. *te cir-cum rura*. Cum Perotto lego pasci video, non vi-deo pasci.

17. Superba iactas.] Codex Pith. et Perotti *su-per etiam iactas, pro insuper*, idque Bentl. recepit, qui hunc versum postposuit duodecimo.

18. Cum bruma est, files.] Perott. *cum bruma files?* non inuenuste, Burmanni iudicio.

21. Satis profecto.] Burmannus haec non apte satis modestae formicæ dari censet, fabellam in priore versu finiens, et legens:

*Satis profecto retundit superbiam*

*Fabella talis, hominum discernens notas*

*Eorum.*

Si plura mutari non placet, interrogationis tan-tum notam addendam putat:

*Satin' profecto retudi superbiam?*

Sed interrogationi obstat profecto. Forte,

*Satis profecto retundit superbiam,*  
formica scilicet, ex Phaedri iudicio.

FAB. XXIIII.

## SIMONIDES A DIIS-SERVATVS.

Quantum valerent inter homines litterae,  
 Dixi superius: quantus nunc illis honos  
 A superis sit tributus, tradam memoriae.  
 Simonides idem ille, de quo retuli,  
 ¶ Victor laudem cuidam pyctae vt scriberet,  
 Certo conduxit pretio: secretum petit.  
 Exigua cum frenaret materia impetum,  
 Vsus poetae, vt moris est, licentia,  
 Atque interposuit gemina Ledaes sidera,  
 Auctoritatem similis referens gloriae.  
 Opus adprobauit, sed mercedis tertiam  
 Accepit partem. Cum reliquum posceret,  
 Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis dueae.  
 Verum, vt ne irate dimissum te sentiam,  
 ¶ Ad coenam mihi promitte, cognatos volo  
 Hodie inuitare, quorum es in numero mihi,  
 Fraudatus quamuis, et dolens iniuria,  
 Ne male dimissus gratiam corrumperet,  
 Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.  
 Splendebat hilare poculis conuiuum;  
 Magno adparatu laeta resonabat domus:  
 Duo cum repente iuuenes, sparsi puluere,  
 Sudore multo diffuentes, corpore  
 Humanam supra formam, cuidam seruulo  
 Mandant, vt ad se prouocet Simonidem,  
 Illius interesse, ne faciat moram.  
 Homo perturbatus excitat Simonidem.  
 Vnum promorat vix pedem triclinio,

Ruina

Ruina camarae subito oppressit ceteros,  
 Nec vlli iuuenes sunt reperti ad ianuam. 30  
**Vt** est vulgatus ordo narratae rei,  
 Omnes scierunt, huminum praeſentiam  
 Vari dedisse vitam mercedis loco.

5. *Victori.*] Ita Schefferus et Gronou. corre-  
 xerant, vt postea in Perotti cod. repertum, pro  
 vulg. *victoris.*

6. *Conduxit.*] Codices ita, quod primus Meur-  
 sius mutauit in *condixit*, multum indignante Bur-  
 manno, qui *precio condicere*, et *condixit ut scribe-*  
*ret*, Latine dici negat, *conducere ut iure consultis*  
*in vsu esse*, adſfirmat, et interpretatur, certo pre-  
 tio laudem scribendam in ſe recepit.

*Petit.*] Pro *petit*, vnde *petit* ſcribit Burm.

8. *Vſus poëtae, ut moris eſt, licentia.*] *Vſus li-*  
*centia poëtae, ut moris eſt, interpretantur.* Bentl.  
*vſus poëta moris eſt licentia.* Heins. *poëtici eſt moris*  
*licentia*, Burm. *Vſus, poëtae, ut moris eſt, licentia,*  
*vel vſus poëtae, ut moſ erat, licentia.* Non opus  
 his omnibus videtur, postquam in Perotti codice  
 repertum eſt, *vſus poëtae more et licentia eſt*, pro *vſus*  
*poëtae more eſt et licentia.* Non contentus tamen hac  
 scriptura, Burmannus mauult, *vſus poëta more eſt*  
*et licentia.*

10. *Auctoritatem ſimilis referens gloriae.*] Id eſt,  
 illam gloriam, ſcilicet victorem eſte in ludis ſacris,  
 inſignem eſte probans, quod Castores; in ludis  
 ſimilibus victores, egregie fuerint celebrati, vnde  
 ſua laudationi, et laudato pyctae auctoritas acce-  
 deret, nec pro leui re haberetur haec egressio in  
 laudes Dioſcurorum. Ita Burmannus. Idem ta-  
 men, postquam in Perotti codice ſcriptum audiuit,  
*Auctores aptae ſimilis referens gloriae*, hanc lectio-  
 nem tolerabilem iudicat, *apte tantum, pro aptae,*  
*reponens.*

13. *Quorum sunt laudis duae.]* Subintellige partes, quod ipsum refert codex Perotti, quorum sunt partes duae legens.

14. *Vt ne irate dimissum te sentiam.]* Heins. dimississe censeas, Bentl. dimissum censeas, Burmann. Verum ut ne ingrate te dimissum censeas. Praefat omnibus his conjecturis Perott. cod. lectio: *Verum ut sine irate dimissum te sentiant, pro Verum ut sine ira te dimissum sentiant, Castor et Pollux.*

18. *Ne male dimissus gratiam corrumperet.]* Ita pro dimissam, legunt, Gud. et Burm. cui etiam placet, *Ne male diuīsam gratiam corrumperet*, i. e. minueret gratiam, quam solus pyctes debebat, quae vero male diuīsa erat, parte eius reddenda Castori et Polluci delegata.

22. *Duo eum repente.]* Ordo verborum concinnoř est a Codice Perotti.

23. *Corpore.]* Vulgo *diffluentes corpora*. Ementatio Schefferiana.

32. *Sciērunt.]* Persuasum habuerunt, Heins. et Bentl. sciērunt, a scisco,

## FAB. XXV.

## P O E T A.

Supersunt mihi, quae scribam, sed parco  
sciens:

Primum, esse ne tibi videar molestior,  
Distringit quem multarum rerum varietas;  
Dein, si quis eadem forte conari velit,  
Habere ut possit aliquid operis residui.  
Quamuis materiae tanta abundet copia,  
Labori faber ut desit, non fabro labor.

Bre-

Breuitati nostrae praemium vt reddas, peto,  
 Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem,  
 Nam vita morti propior est quotidie. 10  
 Et hoc minus perueniet ad me muneris,  
 Quo plus consumet temporis dilatio.  
 Si cito rem perages, usus fiet longior.  
 Fruar diuties, si celerius coepero.  
 Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae, 15  
 Auxilio locus est: olim senio debilem  
 Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,  
 Cum iam desierit esse beneficium utile,  
 Et mors vicina flagitabit debitum.  
 Stultum admouere tibi preces existimo, 20  
 Procliuis vltro cum sit misericordia.  
 Saepe impetravit veniam confessus reus:  
 Quanto innocentii iustius debet dari?  
 Tuae prius sunt partes, aliorum deint:  
 Similique gyro venient aliorum vices. 25  
 Decerne quod religio, quod patitur fides,  
 Et gratulari me fac iudicio tuo.  
 Excedit animus, quem proposuit, terminum;  
 Sed difficalter continetur spiritus,  
 Integritatis qui sincerae conscius, 30  
 A noxiiorum premitur insolentiis.  
 Qui sint, requires. Adparebunt tempore.  
 Ego, quondam legi quam puer sententiam,  
 Palam mutire plebeio piaculum est,  
 Dum sanitas constabit, pulchre meminero. 35

6. *Materiae.*] Codices naturae, quod Gudius  
 verum putat. Sed materiae sequens *faber* vindicat.

8. *Praemium.*] Cod. Remsen, tunicum, unde  
 Gre-

Gronou. *mutuum*, ad Eutychum sermonem referens, a quo petat manumissionem. Obstat vero Phaedri aetas v. 15. et 19. significata.

19. *Flagitabit.*] Bentl. *flagitarit*, quod praecessit *desierit*: ita vero diceret, cum iam mortuus fuero, quod non patitur vox vicina.

20. *Stultum admonere tibi preces existimo.*] Codex alter *precesexes*, alter *precepsexis*, vbi vulgo *preces existima*. Gudius *preces sexcentes*, quod ellet hominis indignantis, non suppliciter rogantis, ut Bentl. monet, qui hinc exculpit: *Stultum admonere tibi preces est, Eutycē*. Nos lectionem Schefferianam, quam Burm. ceteris praefert, dedimus.

21. *Procluvis ulro cum sit misericordia.*] Bentlei. *Procluvis ulro cum sis misericordiae.*

24. *Tuae prius sunt partes.*] Codices: *Tuae sunt partes*, fuerunt aliorum: *d-in simili gyro venient aliorum prius vices*. Ex his vestigiis Burmannus: *Tuae nunc* (Bentl. *sunt*) *partes*, *fuerunt aliorum* (Bentl. *fuerant illorum*) *prius*: *Dein simili gyro ve-*  
*nient aliorum vices*. Virum aliquem intelligi putat, qui annum et insigne munus Romae obseruit, iudicisque praefuerit, in quo alii praecesserant, alii successuri erant. Itaque nec Eutychum nec Particulonem, libertinos homines, appellari putat.

26. *Gratulari.*] Laetari, gaudere iudicio tuo, sexto casu.

*Me fac.*] Pith. codex *me fatere*, vnde coniiciunt *me gratulari patere*, Burm. *meda*.

34. *Piaculum.*] Al. *periculum*.